



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Titulus VIII. De schismaticis, & ordinatis ab eis, & alienationibus factis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](#)

absoluti, concessa Catholicis facultate occupandi ditiones ipsius Comitis, ut refert Guillel. Brito lib. 8. philip.

Rex & Papa simul exponunt omnibus illis,  
Etres, & patriam totam, que spectat ad illum,  
Ut qui praevaleat armis, & viribus illi  
Tollere quid, propriis luctis convertat in usus,  
Et Dominus fiat rerum, quas auferat illi.

<sup>9.</sup>  
Diffol-  
vuntur  
difficul-  
tates.

Nec obstar prima difficultas suprà adducta; nam in generali promissione fidei, & obsequii facta superiori, excepta creditur religionis caula, arguemento legis ultimæ ff. de iure vocando: quia in omni promissione, & jure jurando creditur semper supremi Principis auctoritas reservata, & cultus divini ratio, ut probat Alberic. Gentil. lib. 1. de jure belli, cap. 11. unde licet ob fidei promissionem iuramento firmatum teneantur vassalli parere Principi etiam tyranicè dominanti, tamen si ipse in heresim lapsus sit, non tenentur illi obediere, ex ratione suprà adducta, ne videlicet assidua communicatione facile in ipsis erroribus prolabantur. Nec obstat quod expendebamus ex cap. Iulianus 11. q. 4. nam cum temporibus illi es Imperatoris Ecclesia plena non fueretur libertate, & pace, non poterat subditos ipsius Imperatoris ab ejus obedientia absolvere, & ita Catholici in apostolice exercitu militie nomen dabint, quod toleravit Ecclesia, cum adhuc non haberet pleam potestatem compescendi Principes temporales, ut docuit D. Thomas 2. 2. quest. 12. art. 2. qui etiam respondit exemplis Josephi & Danielis, afferendo ea procedere in Gentilibus, non vero in hereticis. Quando autem infideles, & Judei eo tantum, quod tales sint, priuari possint dominio, & iuribus, que habent in Catholicos, exposui in cap. 1. de Iudeis. Nec obstat secunda difficultas, nam verius est, Pontificem, Vicarium Christi, Pastorem omnium Christianorum, omnes Christianos posse corrigeret, & punire, etiam priuatis temporalibus, virtute potestatis temporalis, quam inditæ & respective ad bonum spirituale habet, ut fecit in casibus relatis in cap. ubi periculum, de elect. in 6. cap. 1. de homi ctd. eod. lib. cap. excommunicamus, §. moneatur, hoc ist. Clement. de summa T. init. Concil. Constant. ff. 8. & 15. Lateran. sub Leone X. ff. 11. probat ex variis sanctorum Patrum testimoniosis Josephus Steph. Valent integrilib. de potestate coactiva R. P.

Unde ob heresim Principis secularis recte privatur ipso dominio directo, aut utili rerum suarum. Facit Nicephor. Calixt. lib. 13. hist. cap. 50. quem expendit Steph. Valent. ubi suprà, ad finem libri, qui etiam pro adstruenda hac potestate adducit textus in cap. de calum. cap. qualiter, de accusatiōnibus, & aliis: & immēritō Rouffel de hac potestate Ecclesiæ dubitat; quare hanc illius audaciam demirari satis non possum; quamquam enim toto opere hic auctor satis prodat quā mente ad feritatem animum appulerit, sique innumeris locis erga Summos Pontifices (ut mitissime dicam) reverentissimus, & perpetuus admiror, nedum allatrator eorum, quæ à Pontificibus sunt constituta, tamen hoc loco nimiam audaciam suam explicit.

Supra traditæ assertioni obstat textus in cap. de illa, de divortiis, ubi agitur de quadam uxore, que Exponit a viro suo in heresim ipso discellit, forsan eam in cap. tentatione, ut maritus cædio pariter, & confusione de illa, affectus, ad rectam feitam redire; & dubitatur de illa, an eo penitente, & reverso ad fidem catholicam, vortu cogenda esset illum recipere, vel non? Et sub distinctione responder Pontifex, videlicet, quod si iudicio Ecclesiæ separata est uxori à consortio viri, non cogatur ipsum etiam penitentem recipere: si vero propria auctoritate discellit, cogatur cum eo habitare. Quem textum ita expoendo: En ubi ob heresim mariti uxor ipso jure non eximitur ab obsequio viro debito. Igitur quia ob heresim superioris eius subditi non eximuntur à fidelitate, seu obsequio. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, verū esse ob heresim mariti divortiū fieri, cap. final. de convers. conjung. cap. 2. cap. quanti, de divort. probavi in d. cap. de illa, eod. tit. Sicut etiam ob adulterium corporale divortium fit, cap. significasti, de divort. ubi probavi: non tamen idē licet propria auctoritate conugi conjugem hereticum deferere, cum iudicio Ecclesiæ tantum divortium quod thorun fieri possit: & ita si propria auctoritate discedat, quia illegitimè, & non servato juris ordine conjugem deferit, cogitur ad eum redire quia ob vinculum sacramenti non licet conjugi propria auctoritate conjugem hereticum deferere.

Etiam exponendum est textus in cap. inter alia, de sententi. excommunicat. juncto ejus commentario.

## TITULUS VIII.

De schismaticis, & ordinatis ab eis, & alienationibus factis.

### CAPUT PRIMUM.

Ex Concil. a Lateran.

Uod à prædecessore nostro felicis memorie Papa b Innocentio factum est, innovantes, ordinationes ab Octaviano & Guidone heresiarchis, nec non & Joanne c Strumensi, qui eos sequutus est, factas, & ab ordinatis ab eis, irritas esse censemus, adjicientes etiam, ut qui dignitates ecclesiasticas, seu beneficia per prædi-

prædictos schismaticos acceperint, careant imperatis. a Alienatione quoque, sive invasiones, quæ per eosdem schismaticos, sive quæ per laicos factæ sunt de rebus ecclesiasticis, omni careant firmitate, & ad Ecclesiam sine omni onere ejus revertantur. Si quis autem f contrarie præsumpsit, excommunicationi se noverit subiacere. Illos autem, qui sponte & juramentum de tenendo schismate præstiterunt, a sacris ordinibus, & dignitatibus decernimus manere suspensos.

## N O T A E.

**L**ateranensi.] Generali videlicet sub Alexander III. celebrato, ubi cap. 2. & in 1. collect. sub hoc tit. cap. 2. reperitur textus hic, protinus in praesenti transcribitur.

**b Innocentio.**] Secundo videlicet, quin in Concilio Romano can. 4. ita statuit: *Ordinationes factas à Petro Leonis, & schismaticis hereticis evacuamus, & irritas esse censemus.* Refert Ant. August. in epist. juris, lib. 11. tit. 54. cap. 14.

**c Strumeni.**] Ita legendum est, non Strumeni, ut habetur in hac sexta collectione; nam in hoc schismate, cum Alexander III. legitimè, & canonice electus esset, fautores Friderici Imperatoris Octavianum Cardinalem in Antipapam elegerunt, Vicoremque appellarent anno 1156. & anno 1164. ipse phreneli correptus, nec sui, nec Deimemor, impunitens sine Sacramentis excommunicatus ad inferos migravit. Duo tamen Cardinales ex primariis Octavianis fautoribus, Joannes videlicet de sancto Martino, & Guido Cremonensis, aliqui ab ipsis convocati de successore tractantes convenerunt in ipsum Guidonem Cremonsem, eumque sub nomine Paschalis III. adorarunt: & cum anno 1170. ipse Antipapa cancro in partibus verendis consumptus decepserit, in ejus locum schismatici elegerunt quemad Joannem Abbatem Strumeni, virum apostatam, qui postea anno 1178. supplex veniam petiti, & benignitatem Sedis Apostolicæ expertus est, ut jam retuli in cap. quia 5. de elect. quare in hoc Concilio Lateranensi Alexand. III. ordinationes factas ab iis Octavianis, Guidone, & Joanne Strumenti, irritas esse, id est nullas,

quoad exercitium declaravit, ut etiam in Concilio Turonensi can. 9. ubi ita statuit: *Ut ordinaciones ab Octaviano factæ, & aliis schismaticis, & hereticis, tanquam vacua, & irrita ab omnibus habentur.*

**d Alienationes.** Consonat caput alienationes 12. quæst. 2. nam alienationes factæ à Prelatis intrusis nullius sunt momenti, cap. nihil, ubi Glossa finalis, *de elect.* & dum Ecclesia schisma patitur, dicitur vacare, cap. 1. cap. cum vobis, de prescript. & ita alienationes, beneficiorum collationes, Ecclesiarum uniones interim celebratae nulla sunt, ut variis ampliationibus, & limitationibus exponit Ricciulus lib. 9. de jure person cap. 4. per totum.

**e Laicos.**] Alienantes videlicet auctoritate schismaticorum, ut post Hostiensem in praesenti docuit Suarez de censur. disp 23. sett. 3. n. 4.

**f Contrarie.**] Facto vel verbo, videlicet impediendo executionem praesentis canonis, approbando, & defendendo hujusmodi alienationes, seu beneficiorum collationes, ut docuit Suarez d. sett. 3. per totam.

**g Iuramentum.**] Consonat Gregorius VII. in Synodo Romana habita anno 3. sui Pontif. ibi: *Ceteri vero, quia sua sponte ejus schismati consentiendo subscripti serunt, & in ea iniquitate perdolare voluerunt, similiter ab omni Episcopali officio suspendimus. Illos vero, qui non sponte consenserunt, usque ad festivitatem sancti Petri sufficerimus, eo quidem respectu, ut si infra istum terminum idoneam, aut per se, aut per nuncios suos satisfactionem presentie nostræ non obtulerint, Episcopali deinceps officio preventur.* Refert. Ant. August. lib. 11. epist. jur. tit. 54. cap. 7.

## C A P U T II.

Innoc. III. a Bisuntino Archiepiscopo.

**F**raternitati tuae. Et infra: Priorem, quem à schismatico afferis ordinatum, ab officio poteris repellere incunctanter, nisi legitime probaverit secum fuisse misericorditer dispensatum, & ab ea persona, quæ super hoc potestatem habuerit dispensandi.

## N O T A E.

**Bisuntino.**] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 1. & aliæ partes hujus Decretalis extant in cap. fraternitati, de eo qui duxit in consanguineam, cap. fraternitati, de clericis excommunicato, ubi notavi.

## COMMENTARIUM.

**i. C**oncl. Ex his dubiis decisionibus sequens committit niter deducit assertio: *Ordinationes factæ ab schismaticis nulla sunt quædæ exercitium gradus collati, nisi dispensatum sit cum ita ordinatis.* Proabant eam textus in cap. final. 19. distinct. cap.

D.D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

præter 6. 32. distinct. cap. ordinationes 9. quæst. 1. Urbanus II. in Concil. Placentin. cap. 10. 11. & 12. Paschal II. in Concil. apud Gualda. cap. 2. ubi factetur, ordinatos ab schismatis secundum ecclesiasticas leges debuisse à malè suscepto gradu deturbari, nisi Ecclesia indulgentia succurrat. Eugenius III. in Concil. Rhemensi, can. 16. *Quodam predecessore nostro Innocentio statutum est innovantes, ordinationes factas à filio Petri Leonis, & aliis schismaticis, & hereticis, evacuamus, & irritas esse censemus.* Octava quoque Synodus generalis sub Hadriano II. can. 4. Phocium schismaticum violenter intrusum, de gradu, quem malè accepit, dejiciens, eos quoque, qui in aliquo

T

gradu

gradu sacerdotali ab eo consecrati fuissent, simili-  
ter abdicavit. Stephanus Tornacensis ep̄f. 108.  
& 109, quæ & alia juris testimonia refert Ant. Au-  
gust. lib. 11. ep̄f. iur. tit. 20. & 34. Illustrant ul-  
tra congettus à Barbosa in praesenti, & de po-  
testate Ep̄f. 2. p. alleg. 48. Franc Hallierius de sa-  
crist elect. cap. 5. art. 1. per totum Turtiscrem.  
lib. 4. summa Ecclesia, cap. 14. Corvinus lib. 4.  
aphorism. juris Pontif. tit. 8. Bonac. de censur.  
disput. quæst. 2. Decianus lib. 5. tract. crimin. cap.  
58. Petrus Gregor. lib. 4. parvus. tit. 3. cap. 2. San-  
ctus Raymundus in summa ad huncit. Suarez de  
censur. disput. 23. sc̄t. 3. Saufay in Panop. clericali-  
li, p. 1. lib. 6. cap. 3. Salcedo in praxi, cap. 28. & 29.  
Bordonus sacri Tribun. cap. 9. Caffropolao tom. 1.  
oper. moral. tract. 6. disput. 4. punct. 6. Murga tom.  
2. digress. tract. 1. disput. 1. dub. 7. Morinus de  
sacr. ordin. exercit. 5. cap. 1.

2.  
Tradi-  
tur du-  
bitandi  
ratio.

Sed pro dubitandi ratione intendam probare,  
tum rationibus, tum auctoritatibus, ordina-  
tiones à schismaticis factas irritas, & nullas esse  
ipso iure, non tantum quoad exercitum, verū  
& quoad effectum characteris. Et primò ita in-  
surgo: Sacraenta extra Ecclesiam dari non pos-  
sunt, quia extra unitatem Ecclesiae non datur  
Spiritus sanctus, cap. loquuntur 8. 24. quæst. 1.  
nec extra eam potest aliquid consecrari, cap. pu-  
denda, 23. quæst. 1. sed schismatici sunt extra  
Ecclesiam, dict. cap. pudenda: ibi: Schis-  
maticus ab Ecclesia visceribus divisus, & ab Apostoli-  
cis sedibus separatus. Et cap. schisma, eadem tau-  
sa & quæst. ibi: Schismatics se à universali Ecclesia  
divisunt. Et Irenæo, Cypriano, Chylostomo,  
Hieronymo, & Augustino probarunt  
Turtiscremata lib. 4. summa, p. 1. cap. 1. Ricciu-  
lus de jure person. lib. 9. cap. 2. per totum. Bellarm.  
controv. lib. 3. de Eccles. cap. 5. Franc. Valens in  
concord. iuris Pont. p. 1. quæst. 4. sc̄t. 1. fol. 321. Ig-  
natur ordinationes ab eis factæ nulla sunt ipso iure.  
Nec sacramenta ab eis cum effectu conferri  
valent, cùm ipsi, ut ait Div. Basilius ad Amphilech.  
cap. 1. per schisma ab Ecclesia defuerint, &  
discissa fuerit consequentia, quæ ab Apostolis,  
& Episcopis prioribus in eos qui de novo ordi-  
nantur, derivatur. Augetur primò hac dubi-  
tandi ratio ex eo, nam sacramentum pœnitentia  
ab schismatico collatum omnino nullum est, &  
inefficax, ut docet Hallierius ubi suprà: ergo  
potiori, ratione sacramentum ordinis ab schis-  
matico collatum nullum est, cùm nobilis sit.  
Augetur secundò hæ dubitandi ratio ex præ-  
sentitu in cap. 1. & in cap. ordinationes 9. quæst. 1.  
ubi ordinationes factæ ab schismaticis, irrita, &  
& vacua dicuntur: ergo quia nulle sunt, non sol-  
lum quoad exercitum, verū & quoad effectum  
characteris, & omnimodam sacramenti essen-  
tiā.

3.  
Schis-  
matici  
accepta-  
tiones.

Quâ dubitandi ratione non obstante, vera est  
prælens assertio, pro cuius expositione sciendum  
est, schisma Græcum verbū esse, & Latinè  
significare scissuram, seu divisionem unitatis,  
cap. schisma 34. 24. quæst. 1. Murga dict. dub. 7.  
§. 1. de quo in sacra Scriptura Ioannis cap. 9.  
vers. 16. Schisma era inter eos. Apothol. 1. ad  
Corinth. cap. 1. vers. 10. Non sint in vobis schis-  
mata. Et cap. 2. vers. 18. Audio scissuras esse inter  
vos. Quare juxta strictam hujus vocis acceptio-  
nem, quælibet societas, aut communiois di-  
ruptio ( sive societas ipsa sit bona, sive mala )  
schismatis appellatione potest contineri. Unde

apud Joan. cap. 9. ( Judæis contendentibus in-  
ter se de miraculo Christi facto in persona ejus,  
qui cæcus natus erat, ) dicitur quod schismata  
inter eos, nempe diversa de miraculo sententia:  
& ibi Glossa subdit: Quod si omnes mali fuissent,  
schismate carnissent. Proindeque fit, ut quandoque  
hominem mortali peccato ligatum schismatici  
vocabulo significatum repertis, cùm hic saltē  
à charitate per peccatum separaretur, iuxta illud  
Isaiae cap. 59. Iniquitates vestre divisur inter  
vos, & Deum vestrum. Et legitur aperte in cap.  
audivis 11. quæst. 3. cap. dixit 24 quæst. 3. Quandoque  
etiam eodem vocabulo repertis significatum  
hominem excommunicationis sententia damnata-  
tum, veluti qui per excommunicationem à Sacra-  
mentorum participatione, & hominum com-  
muniōne separatur, ut in cap. sacerdotes 1. q. 1. cap. A.  
postolica 24. q. 4. cap. cum excommunicatio 11. q. 3.  
propriè tamen schismatis vocabulum ad eam divisionem  
refertur, quæ in Ecclesia Dei quandoque  
contingit, ut in cap. 1. & 100 tit. de schismat. In  
præsenti tamen accipitur pro scissione, vel divi-  
sione ab Ecclesia, ejusque capite; cùm enim Ec-  
clesia una sit, ac proinde indivisa, constans ex  
discibus, tanquam membris, & ex Christo,  
ejusque Vicario, tanquam capite, quise ab hu-  
ijsmodi membris, vel capite separat, schismati-  
cus est. Unde cognoscitur, omnes hæreticos  
esse simul schismaticos, non verò è contra, schis-  
maticos inde esse hæreticos; siquidem schismati-  
ci potest, etiā una religio colatur, eadem Sa-  
cramenta teneantur, nec falsum dogma doceatur;  
quia ab unitate capitis scismatici se separant.  
Quam divisionem odium fraternalum dixit D. Au-  
gustinus lib. 1. de baptismo contra Donatistis, quia  
inter Christianos, & ejusdem fidei Catholice  
cultores, ejusdemque matris Ecclesiæ filios na-  
scitur, ut olim contingit inter Apostolorum di-  
scipulos, referente Div. Paulo 1. ad Corinth. cap.  
1. ibi: Ego sum Pauli, ego Cephe, ego Apolle,  
ego Christi. Quam scissuram cauam frustis crean-  
dorum Episcoporum, cùm antea Ecclesia Pres-  
byterorum arbitrio regeretur, refert D. Hieron.  
in ep̄f. 1. Pauli ad Tuum, cap. 1. ibi: In toto  
orbis decreum est, ut unus de Presbyteris electus  
superponeretur caeteris, ad quem omnis Ecclesiaca  
per inveniret, ut schismatum semina tollerentur.  
Omnis ergo hæreticus statim scismaticus est, quia  
ab Ecclesia Romana secundum aliquod dogma  
perversum se dividit, cap. loquuntur, cap. alienus 24.  
quæst. 1. schismaticus vero potest dari, si tan-  
tum unitati Ecclesiae aduersetur. Div. Augustinus  
super Mauritium cap. 11. & sicut hæretis primò  
& per se fidei oppositum, si & scisma unitati  
ecclesiastica, quam caritas operatur, cap. schis-  
ma, 24. quæstion. 1. cap. Novatianus, 7. quæ-  
stion. 1. Scisma ergo etiā consentiat cum crimi-  
ne hæretico, quod utrumque unitatem, communi-  
onemque Ecclesiæ catholicae violer, siud fidei  
laſa, illud charitate corrupta, tamen origine  
magnopere differunt. Etenim hæretis laſa re-  
gulam fidei, ipsaque christiana professionis funda-  
menta evertit. Schisma disciplinam ecclesiasti-  
cam labefactare nititur, & Episcopalem au-  
toritatem concutere, ut ajunt Div. Basilius ad  
Amphilech. cap. 1. Div. Hieron. ad caput 3. ep̄f. ad  
Tuum. Est ergo schisma peccatum contra obe-  
dientiam, & charitatem, ut ait D. Thomas 2. 2.  
quæstion. 39. arr. 1. non contra fidem, ideoque ab  
hæreti diversum, ut probat D. Augustin. lib. 2.  
contra

contrà Crescon. cap. 3. & de fide cap. 10. contra Fanum lib. 20. cap. 3. Nullum tamen est schisma, præcipue diuturnum, quod sibi tandem hæresim non configat, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur, cap. inter. 24. quest. 3. Exemplum extat in schismate Donatistarum, l. 4. C. Theodos. ne sanctorum baptismi. Tales etiam fuerunt Græci, cum primum ab Ecclesia Romana discesserunt, eti postea sua opinioni pertinaciter inherentes, inter hæreticos sunt connumerati: quare schisma hæresis est inchoativè, ut explicat Suarez lib. 1. in defens. fidei, cap. 22. quare attento usu testiflamo si hisma degenerat in hæresim, si in veteratcat. Inter hæresim sectatores, schismaticos numerarunt D. Clemens lib. 6. constit. cap. 4. D. August. epist. 164. & Patres Concilii Constantiopol. 2. generalis can. 6. hæreticis adjunxerunt schismaticos; postquam enim de hæreticis egreduntur, haec verba subjungunt: *Ad bac autem & eos qui sanam quidem fidem confiteri præferunt, abscessi sunt autem, & alibi quam cum Canonio nostraris Episcopis conventus celebrant. Quem canone late explicat Petrus Marcha lib. 4. concord. Sacerd. & Imp. cap. 8. Prosequeuntur affinia hæresis, & schismatis Theophilus Raynaud. tom. 10. in Corona aurea R.P. fructu 4. fol. 170. Thomas Hurstadius de vero martyrio resol. 24. § 2. Thomas Delbene de off. Inquisit. dubit. 47. part. 1. part. 2. dubit. 23. Morinus lib. 1. exercit. cap. 1. fol. 4. Fr. Ant. Perez in Pentatenc. fidei, cap. 1. dub. 11. Maledo de clavib. Petri cap. 1. dub. 11. in qu. prævia, artic. 3. Emericus part. 1. Directorii, quaf. 18. Isti enim, & similes, qui ob durationem in schismate diutius pecant, eti hæreses palam non profiteantur, quia tamen recedunt ab obedientia Summi Pontificis Capitis Ecclesiae, nec damnati ab Ecclesia redent, heretici judicantur, quia ipsa pertinacia satis aperte profentur, Ecclesie capitoni non esse obediendum, & extra Ecclesie unitatem salutem dari: quod abesse hæresi affirmari nequit, ex irrag. unam sanctam, de majori. & obedient. D. Thoma 2. 2. question. 39. art. 1. & 2.*

*Schisma diffinitur à D. Thoma 2. 2. question. 39. art. 1. quem omnes communiter sequuntur, ut sit Divisione, per quam quis se ab unitate Ecclesie separat, in quantum Ecclesia est corpus mysticum ex universis fidelibus ut membris, & Romano Pontifice tanquam capite constans. Pro cuius expositione sciendum est, unitatem Ecclesie Catholice in eo confitente, ut universi fideles apto quodam ordine inter se ut membra, & cum Pontifice ejus capite conectantur, scilicet ut in fidei doctrina, cultu Religiosis, & in speciali regimine caput in reliqua membra exerceat principatum, atque ea illi pareant, ipsique subdita sint. Hæc autem unitas scinditur, cum schismatichi nolunt se gerere tanquam membra hujus corporis, in aliqua, vel aliquibus actionibus spiritualibus ad hoc Ecclesia corporis pertinentibus; vel dum recusant subjici Romano Pontifici, ut docuerunt Cajeranus 2. 2. question. 1. art. 1. Valentia 2. 2. disput. 3. question. 15. Sanchez lib. 2. summa, cap. 36. num. 1. Diximus in distinctione, schisma esse divisionem, loco generis, & ut cognoscamus non dari posse schisma, nisi præcedat unitas, quia divisio supponit unitatem, & communionem, l. 1. §. si quis, ff. de separat. bonor. l. ff. 1. comm. divid. Unde Judei, & infideles non possunt in schisma incidere, quia Ecclesia unitatem nunquam habuerunt. Ricciulus dict. lib. 7. cap. 1. nn. 9. Cetera verba adjiciuntur loco differentiæ, & ut cognoscamus schisma verum committi, quando quis ab unitate Ecclesiæ, & Romano Pontifice discedit quoad actiones spirituales. Unde si quis in terris quoad temporalia subjicit Romanu Pontifici illi non obediatur, non schismaticus, sed rebellis dicendus est; si quidem ratio schismatis non consistit in quacumque Papæ obedientia, sed in ea, qua respicit officium ipsius Pontificis quoad spiritualia. Inde etiam deducitur, non parentem Romano Pontificiali quid prophanum, seu seculare jubenti, cuius judicium spectat ad laicum, non dici schismaticum. Ricciulus ubi supra, num. 12. Nec etiam schismaticus dicitur, qui per ignorantiam dum duo erant de Sede Pontificali, illi adhaeret, qui postea in causa succubuit; quia eo casu non datur manifesta rebello in caput Ecclesiæ, ut docuerunt Azor. lib. 8. institut. moral. capit. 20. qu. 4. Sanchez lib. 2. summa, cap. 36. in fine. Unde excusant nonnulli piti vii, qui adhaerent per ignorantiam illis Antipapis, qui iudicio Ecclesiæ postea damnati fuerunt, ut probat Theoph. Raynaud in oplotheca, sect. 2. serie 1. capit. 7.*

Hujus tetrorem criminis gravitatem expressit Sanctus Irenæus lib. 4. cap. 62. ubi de Christi iudicio disputans ait: *Iudicavit eos, qui schismata operantur, qui sunt immanes, non habentes Dei dilectionem, suamque utilitatem potius considerantes, quam unitatem Ecclesie; & proper modicas, & quaslibet causas magnum & gloriosum Corpus Christi concindant, & dividant, & quanum in ipsis est, interficiunt, pacem loquentes, & bellum operantes, vere liquantes culicem, & camelum transfluttentes, nulla enim ab eis tanta potest fieri correptio, quanto est perniciens. Probat immanitatem hujus sceleris latè Theophil. Raynaud in tract. de Pontifice, in prologomenis, subnotatione 3. fructu 4. Et si cuiuslibet peccati atrocitas estimanda est à gravitate vindictæ, cap. non afferamus 24. q. 1. quam detestabile sit crimen hoc, cognoscitus ex penit. quibus illud Dominus vindicavit in Choro, Dathan. & Abiron, quos vivos terra absorbut, quia se à summo Sacerdote Aaron abalienarunt, ut legitur Numer. cap. 16. in Ozia cap. 26. Paralip. in Jeroboan lib. 3. Regum, cap. 12. & 13. Quare per facios causas variis penit. schismatici afficiuntur. Primo excommunicantur, cap. 4. Liguribus, 21. quest. 5. cap. nullitas, 19. dist. quæ censura licet jure communi non esset lata sententia, hodie tamen ipso jure incurritur, ex canon. 1. Bullæ Cœnæ Domini, ubi ita cavetur: *Necnon Schismatosos, & eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, & recedunt. Ubi plura Duardus, & Fragolo. Azor. part. 1. Institut. lib. 4. c. 20. Suarez de censur. disput. 21. sect. 2. num. 12. Sanchez lib. 2. summa, cap. 36. qui animadverunt hac excommunicatione Bullæ non ligari fautores, defensores, receptatores schismaticorum; quia in supradicta bulla non recententur, & exprimuntur hæreticorum fautores: ligantur tamen excommunicatione non reservata, ex textu in cap. licet, de elect. cap. unic. hoc tit. in 6 & nova constitutione Pauli IV. quæ in ipit: *Cum ex Apostolatus officio, ex omnianuntur, aliisque penit. afficiuntur fautores schismaticorum, ut notarunt Decianus lib. 5. tract. crimin. cap. 65. nn. 6. & cap. 67. num. 2. Farinac. de hæresi quest. 18. num. 17. Eriam Schismatici à gradu, & dignitate, quam***

De Pe-  
nis schis-  
matici.

quam habebant, dejiciuntur, cap. subdiaconus 40.  
cap. qui contrā 24. quæst. 1. hodie ipso jure, ex  
cap. unic. hoc titul. in 6. ibi: *Omnibus beneficiis*,  
*officis, honorib[us], dignitatibus, & Pralaturis per-*  
*petuo præveniuntur.* Docuerunt Bonacina in Bullam  
disp. 1. quæst. 2. punct. 5. num. 12. Sanchez lib. 2.  
summæ, cap. 36. num. 19. & inhabiles redduntur  
ad alia acquirenda, cap. quia 5. de elect. non tam  
men purus schismaticus, de quo agimus, ideo est  
irregularis, ut probat Gibalinus in regul. cap. 4.  
dub. 2. Si Schismatici sunt laici, & nobiles, eorum  
loca publicantur, & nobilitate privantur, &  
Principibus secularibus puniendo corporaliter  
traduntur, dicit. cap. de Liguribus, cap. non vos 2.  
quæst. 1. cap. denique 7. quæst. 1. cap. didicimus 24.  
quæst. 1. Dubium tamen est, an Schismatici peni-  
tentes, & Ecclesia reconciliati, habiles reddan-  
tur ad beneficia Ecclesiastica? Et habiles reddi-  
doent Decianus lib. 5. tract. crimin. capit. 54.  
num. 15. Brunus de hereticis lib. 3. cap. 7. Farinac.  
de heresi quæst. 189. & 193. Sed probabilitas, & le-  
curius negant schismaticum Ecclesiae reconcilia-  
tum adhuc habilem esse ad beneficia Ecclesiastica,  
nisi per Pontificem, aut vicem ipsius habentem  
fuerit dispensatus, Azor 1. part. insitum. lib. 8.  
cap. 20. quæst. 8. Sanchez lib. 2. cap. 36. num. 18.  
Bonacina disput. 3. quæst. 4. de charitate, part. ul-  
tim. §. 5. numer. 10. Penna 2. part. direct. quæst.  
48. commentator. 73. Farinac. de heresi quæst. 184. nu-  
mer. 35. Menoch. de presumpt. lib. 5. presump. 6. num.  
24. licet tantum leviter suspecto esse de heresi,  
defendant Duardus lib. 2. Bulla, cap. 1. quæst. 156.  
num. 12. Sousla in aporism. lib. 1. quæst. 20. num. 13.  
cum aliis, Diana part. 4. tract. 7. resol. 29. & hoc  
ex diuturnitate temporis astimandum esse, docet.  
Bordonus ubi supra; omnes tamen illi fatentur co-  
gnitionem hujus criminis spectare ad Tribunal  
Sanctæ Inquisitionis.

6.  
Tradi-  
turatio  
deciden-  
di.

His suppositis ratio praesentis assertionis ex eo  
provenit, nam cum Schismatici amittant gratiam  
Spiritus Sancti, & omnem potestatem in rebus  
ecclesiasticis, quia extra Ecclesiam foris sunt,  
cap. didicimus 31. 24. quæst. 1. quomodo dare  
possunt, quod ipsi non habent? & quid iniquius  
ab eo Spiritus Sancti dona velle recipere, qui Spi-  
ritum sanctum non habent; divina ab iis suscep-  
re Sacra menta, quorum manus, ut ait Sanctus  
Leo I. epist. 37. se subtraxere mysteria? Qui nec  
juste ea dare possunt, nec sine indebita potesta-  
tis usurpatio conferre. Facit specialis ratio or-  
dinationis sacræ; nam per eam accepimus spiri-  
tualem, & eminentiorem in Ecclesia Dei gradum,  
ad quem contrā Ecclesiam dispositionem ascendere,  
rebellare est: & ab iisdem ordinem accipere, quid  
aliud est, quād adversus Ecclesiam militare, &  
altare contra altare erigere, dignitatem ipsam fu-  
rari, regiminis gradum fraudulenter ascendere?  
Unde qui ab hereticis, seu schismaticis ordinantur,  
recte ab Innocentio I. epist. 22. appellantur  
rei usurpati dignitatis, qui conficiendorum Sa-  
cramentorum sibi vindicaverunt auctoritatem,  
quaे his nullā ratione fuerat concessa: à qua ra-  
tione non omnino abhorret D Cyprianus epist. 27.  
ad Stephanum: *Nec debere eos reverentes ea apud*  
*nos ordinationis, & honoris arma retinere, quibus*  
*contra nos rebellaverint.* Recte ergo in praesenti  
Alexander decrevit, ordinationes factas ab schis-  
maticis irritas esse, id est nullas quoad exercitium  
gradus collati; quia ordinati ab schismaticis, sus-  
pensi sunt ab executione ordinis ita suscepti: de-

bent tamen esse schismatici denunciati, & non  
tolerati ab Ecclesia, alioquin cum retineant fa-  
cultatem conferendi ordines in favorem fidelium,  
ideo recipientes ordines ab illis suo jure uiuntur,  
& nulla suspensione ligantur, ut docuerunt Su-  
arez de censur. disput. 31. sol. 1. num. 64. Bonaci-  
na de censur. in particuli. disp. 3. quæst. 1. punct. 10.  
Gibalinus in synopst censurar. littera O. num. 2.  
qui recte docent, suspensionem hanc incurri et-  
iamab eis, qui ignoranter ab schismaticis ordi-  
natani sunt, nec possunt in ordinibus fulceps mi-  
nistriare, nisi cum eis dispensatum fuerit per ha-  
bentem potestatem, videlicet per Episcopum, si  
i) ignoranter promotis sunt; si vero scienter, per  
Pontificem, ut probat Barbola de potest. Episcopi  
alleg. 48. per totam. Ut factum fuisse tempore  
schismatis praesentis, narrat Arnold. Lubec. lib. 2.  
cap. 28. Factus est ergo Conventus magnus Prelato-  
rum, & pergebant illuc multi ordinati à schisma-  
tiis, sperantes gratiam Apostolicam invenire. Et  
lib. 3. cap. 10.

Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, pro  
cujus solutione sciendum est ex D. Thoma 2. 2. Dis-  
sol. quæst. 39. art. 3. dupli em esse in Episcopis po-  
tentiam; alteram sacramentalem, aliam vero juris-  
dictionalem. Sacramentalis est, quia per aliquam  
consecrationē adipiscitur, veluti potestas chara-  
teris, quæ consistit in confiando Corpore  
Christi, & in ceteris Sacramentis conferendis.  
Jurisdictionalis potestas est, quæ confert per  
simplicis hominis injunctionem, veluti facultas  
excommunicandi, absolvendi, & concedendi in-  
dulgentias. Inter has duas potestates illa versatur  
differentia, quod potestas Sacramentalis confer-  
tur à Deo indebet, per characterem, ut docent  
in praesenti Hostiensis, Butrius, Abbas, & Ananias;  
ideoque remanet semper immobilis, sive Episco-  
pus labatur in schisma, sive in heresim. Inde  
etiam provenit, quod Episcopus etiam degradatu-  
s, vel si renunciat Episcopatu, validè, & cum  
effectu ordines conferat, ut probavi in cap. 1. de  
ordinat. ab Episcopo qui renunc. Deinde sciendum  
est, alia esse Sacra menta, quæ nullam execu-  
tionem desiderant, quia tantum gratia in eis habe-  
tur pro executione, qualia sunt Baptismus, Pœnitentia,  
Unctionis sacra, quæ simul ac conferuntur, se-  
cundum afferunt executionem: alia sunt quæ ultra  
gratiam expectant executionem, quia consistunt  
in agendo, ut Sacramentum Ordinis. Quibus sup-  
positis ratione dubitandi satisfaciendum est affe-  
rendo, quod licet schismatici, quia extra Eccle-  
siam sunt, non possint validè ea, quæ sunt juris-  
dictions exercere, ut excommunicare, indulgen-  
tias concedere, & similia; tamen quæ proveniunt  
à potestate characteris, & si non licet, validè tam-  
en conferunt, quia tali potestate nec heretici,  
nec schismatici ab Ecclesia privari possunt; sed  
quia ipsi suspensi sunt, executionem, seu exerci-  
tum Ordinis collati dare non possunt, & ita sus-  
pensi sunt ordinati ab schismaticis. Nec exinde  
inferas, dari extra Ecclesiam Sacra menta, quæ ve-  
ra, & licita dari non possunt: sed quia tamen hereti-  
ci, quād schismatici retinent potestatem chara-  
teris, id est validè, et si licet, ea potestate  
utentes, Sacra menta conferre valent. Inde-  
tem facili responderetur augmento ipsius dubitan-  
di rationis, quod expendebamus ex Sacra men-  
to Pœnitentia ab schismaticis administrato; nam  
dispar ratio versatur in Sacra mento pœnitentia;

7.  
Dis-  
sol.  
vitur  
dubitam  
di rati-

Expo-  
nan-  
varia-  
jara

ac sacramento Ordinis : tum quia sacramentum pœnitentiae non nisi ab habente jurisdictionem validè conferri potest , quia iurisdictione schismatici ab Ecclesia denunciati privantur , unde sacramenti pœnitentiae ministri idonei non sunt , cùm trans sacramentum Ordinis , quod iurisdictionem non requirit , ut validè conferri possit , sed solum eminentiam sacerdotii , seu Episcopalem potestatem , conferre queat : tum quod in sacramento pœnitentiae nihil datur præter gratiam , quam tantum abest , ut quis ab his confeatur , qui ab Ecclesia unitate deficerunt , ut portius qui iis communicat , novi criminis contagione polluantur : at in Sacramento Ordinis præter gratiam datur character spiritualis , quem nulla peccati fœditas impedit , quo minus animæ suscipienti imprimi possit . Unde non omnino inanis , & irrita est ordinatio ab his schismatis ab Ecclesia præcisæ facta , sicut est irrita absolutio pœnitentis ab iisdem prolatæ . Nec obstat ultimum augmentum ipsius dubitandi rationis ex præfenti texu , & aliis suprà relatis , ubi ordinationes factæ ab schismatici dicuntur irrite , inane , & vacue . Quibus omnibus respondendum est , eas ordinationes vacuas esse quantum ad executionem ordinis , seu gradus collati ; sed revera validas esse propter Ecclesiæ fidem , & sacramenti dignitatem , quæ à fide , vel bonitate ministri non dependet : ita quoad substantiam , & characterem validè sacramentum Ordinis ab schismatis administratur ; sed quoad executionem gradus recepti , vacua , & irrita dicitur talis ordinatio .

*Expo-*  
*nuntiatur*  
*varia*  
*jura.*

Ex qua doctrina , & distinctione explicanda sunt variae auctoritates à Graciano transcriptæ , in quibus do : eri videtur , ordinationes ab hæreticis , & schismatici factas , va uas , & inane esse , quæ accipiendæ sunt de nullitate quoad exercitium , si quidem etiæ validè , & cum effectu ordinati characterem recipiant , non tamen habent exercitium , quia suscipiunt sunt : quo modo accipiendi sunt textus cap. Ariano 73. cap. veniunt 18. 1. quæst. 8. cap. in Ecclesia 68. cap. qui perfectionem , ead. quæst. Et licet in cap. per illicitam , cap. Daibertum 1. quæst. 7. dicatur ordinationes factas ab hæreticis iterandas esse , textus tamen illi procedunt , quando hæretici non servant formam ab Ecclesia præscriptam ; nam cùm tunc ex defectu formæ substantialis sacramentum nulliter , & invalidè administretur , merito iterandum est , seu de novo administrandum , non quia ab hæreticis collatum est , sed ob defectum veræ , & necessariae formæ , ut contingit in baptismo dato , & collato ritè ab hæreticis , ex Concilio Florentino in Decreto de sacramentis , & Trident. ieff. 7. can. 4. attamen si collatus sit ab hæreticis errantibus in forma baptismi ,

ut errabant Paulianistæ , cap. Paulianista 53. quæst. 1. iterari debet , juxta textum in capit. quos à Paganis 52. de consecr. dist. 4. & ita etiæ ordinationes factæ ab hæreticis validæ sint , cap. quam quidam 97. 1. quæst. 1 tamen si contra debitam Ecclesiæ formam data sint , iterari debent , ex dist. cap. Daibertum , dist. cap. per illicitam .

Sed suprà traditis obstat difficilis sententia Urbanii II. Pontificis in epist. 17. Præposito sancti Iuventini missa , quæ extat tom. 3. Concil. in illis verbis : *Ceterum schismaticorum , & hereticorum sacramenta , quantam extra Ecclesiam sunt , juxta bani II. Sanctorum Patrum traditiones , scilicet Pelagi , Gregorii , Cypriani , Augustini , Hieronymi , formam quidem sacramentorum , non autem virtutis effectum habere profitemur , nisi cùm ipsis , vel eorum sacramentis initiat , per manus impositionem ad catholicam redierint unitatem .* Ex quibus verbis apertere deducitur , sacramenta ab schismaticis collata omnino nulla esse , & novâ manus impositione indigere . Ergo non rectè afferimus sacramentum Ordinis ab schismaticis collatum , quoad substantiam , & characterem validum esse , licet quoad exercitium irritum , & vacuum judicetur . Pro cuius difficultatis solutione dicendum est , verba illa *sacramenti habere , sed non virtutis effectum , ita accipienda esse , ut quoad substantiam valida sint sacramenta ab schismaticis collata , sed gratia effectum non conferant , nisi per manus impositionem reconciliatoriam ita ordinati communioni Ecclesiæ restituantur , & similiter ordinantes :* quo casu , quæ ab iis conferentur sacramenta , non solum valida erunt , verùm & suscipientibus proficia , cùm ante hanc reconciliationem rata quidem sint , sed suscipientibus obtinuerint potius , quam pro sint , ob communionem scilicet vetitam cum hæreticis , & schismaticis , quorum communio præsertim prohibetur , quia duo hæc crimina , hæresis , & schisma , Ecclesiæ Catholicæ unitatem pre ceteris criminiis disolvunt . Itaque censuit Urbanus II. sacramenta ab his collata valere , effectum autem gratie ab his non obtineri , nisi postquam vel ipsi Ecclesiæ communioni redditi sunt : quo casu communioni iure jam his licet potestate , quam in hæresi , vel schismate retinuerint , Ecclesiæ communione utriusque postquam ii , qui ab illis sacramenta suscepunt , de communione temerè usurpata pœnitentiam egere : in quo alio casu recedente fictione sacramentum validè collatum , sed illicitè receptum reviviscit : ut quod ad condemnationem receptum fuerat , incipiat prodesse ad veniam ; & idè requiritur eo casu manus impositionis , reconciliatoria videlicet .